Et iniuste quaereris minora sustinens
quam meruisti. Quid uetera replicem?
praesentia exempla sectare.
Sancta melania nostri temporis inter christia-
nos uera nobilitas, cum qua tibi dominus
mihique concedat in die sua habere par-
tem, calente adhuc mariti cor-
pusculo et necdum humato duos simul
filios perdidit. Rem sum dicturus in-
credibilem, sed christo teste non falsam.
Quis illam tunc non putaret more lymphati-
co sparsis crinibus, ueste conscissa, la-
cerum pectus inuadere? Lacrimae
gutta non fluxit. Stetit inmobilis et
ad pedes aduoluta christi quasi ipsum tene-
ret adrisit. Expeditius tibi seruitu-
ra sum domine, quia tanto me onere libe-
rasti. Sed forsitan superata in ceteris?
Quin immo qua illos mente contempserit in
unico postea filio probat. Cui omni
qua habebat possessione concessa,
ingruente iam hieme hierosolimam naui-
gauit. Parce quaeso tibi, parce filiae
iam cum christo regnanti, parce saltim eus-
to·chi·o aetuae, cuius parua adhuc aetas
et rudis pene infantia te magistra te
dirigitur. Seuit nunc diabolus et quia cer-
nit unam de tuis liberis triumphasse, obtri-
tum esse condolens quaerit in remanente
uictoriam quam in praeeunte iam perdidit.
Grandis in suos pietas inpietas in deum est.
Abraham unicum filium laetus interficit
et tu unam de pluribus quaereris coronatam.

Non possum sine gemitu eloqui quod dic-
turus sum. Cum de media pompa fune-
ris exanimem te referrent, hoc inter se
populus mussitabat: Non ne illud est quod
saepius dicebamus? Dolet filiam ieiuniis
interfectam, quod non de secundo eius
matrimonio tenuerit nepotes. Quousque
genus detestabile monachorum non urbe
pellitur, non lapidibus obruitur, non praecipitatur
in fluctibus? Matronam miserabilem
seduxerunt, quae quia monacha esse noluerit
hinc probatur quod nulla gentilium matrum
suos umquam filios fleuerit. Qualem pu-
tas ad istas uoces christum habuisse tris- ihm
titiam? Quomodo exultasse satanan,
qui nunc tuam animam eripere festinans
et pii tibi proponens doloris inlecebram,
dum ante oculos tuos filiae semper imago
uersatur, cupit matrem simul necare uic-
tricis et solitudinem sororis inuadere de-
relictae. Non ut terream loquor,
sed ut mihi testis est dominus quasi ante tribu-
nal eius adsistens in haec te uerba
conuenio. Detestandae sunt istae lacri-
mae plenae sacrilegio, in credulitate plenissimae, quae
non habent modum, quae usque ad uicinia
mortis accedunt. Ululas et exclami-
tas et quasi quibusdam facibus accensa
quantum in te est tui semper homicida es.
Sed ad talem clemens ingreditur ihesus et dicit:
Quid ploras? Non est mortua puella sed
dormit. Rideant circumstantes.
Ista infidelitas iudaeorum est.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0299